DEO JUVANTE,

SCHOLA MEDICA PARISIENSIS,

Hoc Anno M. DCC. LIV. Studia per Ferias intermiſſa, more ſolito poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis, redintegrabit die Jovis decimo-nono menſis Septembris, Bibliothecam publicis uſibus deſtinatam aperiendo.

Sed cùm feliciſſimo S. DELPHINÆ Partu, novus à radicibus pretioſiſſimo Gallicorum Liliorum Trunco progerminaverit Surculus, publicæ felicitatis Pignus; fauſtam S. BITURIGUM DUCIS Nativitatem publicis gratiarum actionibus, publiciſque lætitiæ argumentis celebrare geſtit Medicorum Pariſienſium Ordo.

Statuit itaque Facultas Medica Pariſienſis, ut die Sabbati decimo-quarto hujus menſis Septembris, horâ decimâ matutinâ, in Scholarum ſuarum Sacello, poſt ſolemne Sacrum, Hymnus Exultationis *TE DEUM* cantaretur, atque ut induciæ Academiæ producerentur, poſt Feſtum S. Lucæ orthodoxorum Medicorum Patroni, uſque ad diem Lunæ menſis Octobris vigeſimum-primum, quo Profeſſores ordinarias Lectiones reſument. DATUM Pariſiis, die ſecundo Septembris, anni 1754.